

Hist. eccl.  
2566

De religionis christiana in gente  
Lituanorum initiis,

Sectio tertia.

Programma,  
Feriis Pentecostalibus

Academiae Regiomontanae  
Ciuiibus

Prorectore, Cancellario, Directore atque  
Senatu academico

propositum.



Anno

MDCCXX.

Regiomonti,  
Typis academicis Hartungianis.

In rerum ecclesiasticarum gentis Lituanorum originibus explorandis, in secunda hujus libelli parte, anno praeterlapso edita, usque ad euersionem Romouae <sup>1</sup>), idolatriae in his regionibus septentrionalibus sedis capitalis, narrationis filium protraximus. Hujus oppidi Lituanici, in Samogitia ad Dubissae ostium siti (ubi suminus Lituanorum sacerdos, Kriue Kriueito dictus, habitauit) euersionem Petrus Dusburgensis <sup>2</sup>), rerum Prussicarum et Lituanicarum per complures annos scriptor coaevus, hisce verbis enarrat: Eodem tempore frater Ludouicus de Libencele fuit Comendator de Raganita, qui cum suis fratribus et armigeris multa bella gloriose gessit contra Lethouinos (Lituanos). Nauale bellum multiplex.

1) De hujus vocis origine varias eruditorum opiniones celeberrimus Chr. Hartknoch in Dissertationibus de antiquitatibus Prussicis A. MDCLXXIX in lucem editis, et Chronicō Petri de Dusburg annexis, collegit et recensuit. Conf. Dissert. sext. de locis diuino cultui dicatis §. XI. p. 118 — 122. In Dissertatione subsequenti, septima, §. III. p. 129, prae caeteris laudat sententiam Praetorii de querco Romoueana, his verbis: „Clarissimus vir M. Praetorius sic eam describit: Habuit querco Romoueana tres maiores ramos ex uno caudice excrescentes, qui in suprema dictae quercus parte coaluere, quamobrem etiam querco illa dicitur Romoue, a prussica voce Romwu, quae in infinito habet Ruomot, id est coalescere. Et hoc ipsum etiam Romoueanae urbi laudatus Dominus Praetorius nomen dedisse arbitratur; confirmat insuper illud, quod de querco dixerat, aliis arboribus Prussorum idolatriae destinatis. Fuit enim non ita pridein in sylva Districtus Insterburgensis abies; Anno 1664 fulmine iacta. Haec erat arbor mirae proceritatis, cuius truncus itidem se diuidebat in tres ramos maiores, eosque enodes, qui in superiori parte itidem coaluerunt. Appellarunt eam abietem Prussi, Lituani, Samogitaeque contermini, Rumota vel Rumbota, sacramque habuerunt. Addit vir clarissimus, in horto suo Nebudzensi ejusmodi Pyram trifidam reperiri, quae etiam Prussis et Lituanis vocatur Romota, ut et Rumbota Krausis, id est, pyrus coalita. Ejusdem formae Romoueanaam suisse existimat.” — Sed eam doctissimi viri opinionem vix admittendam arbitramur, cum vox rumota Lituanice non trifidam (arborem) sed rem sutura aut fimbria praeditam denotet, a Lituanico nomine Rumbas, quod fimbriam significat.

2) Petri de Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicō Prussiae, cum incerti Auctoris Continuatione usque ad annum MCCCCXXXV, edit. a Christophoro Hartknoch, Jen. 1679, P. III. c. 252. pag. 33<sup>1</sup>.



habuit: unum versus Anstechiam 3), terram Regis Lethoviae, in qua villam, dictam Romene (Romoue) quae secundum ritus eorum sacra fuit, combussit, captis incolis omnibus et occisis. Ubi frater Conradus, dictus Tuschevelt interfectus est. Alia bella habuit contra territorium Samogitiae, (Samogitiae) dictum Grandam, ubi positis insidiis, et paucis depraedantibus, ipsum omnes equites sequentes, praeter sex, interfecit. Et in hoc bello hi de Pograuda adeo debilitati fuerunt, quod multis annis non poterant in equitibus resumere vires primas. Idem processit contra territorium, Wayken dictum, ubi et per insidias multos nobiles interfecit. Non posset ad plenum scribi, quanta bella gessit contra eos. Sed, ut breuiter concludam, adeo infestus fuit eis, quod infra sex annos, quibus dicto castro praeceps, coegit omnes Lethouinos, qui supra litus Memelae habitabant, a fluvio Naue usque ad terram Lamotinam 4), ut pacem cum Christianis haberent sub his pactis, ut certum censum annis singulis ei darent.“ — Haec Petri Dusburgii narratio: Tantum vero abest, ut quercus sacrae excisio (ab incolis Samogitiae profundo facinore habita 5), religionem paganam extirparet, ut potius

3) In nominibus locorum et hominum valde inter se discrepant scriptores Prussiani Liuonici et Polonici, quoniam Lituanae linguae ignari fuerunt. Strykouius rectius regionem illam scripsit Austechiam, quae hodiernis diebus Augustyta (locus altus) vocatur. Vid. Matthiae Osostewitii Strykowskii Kronica Litewska lib. III. pag. 74. Sarnitius (Annal. Polon. lib. VI. p. 293.) Austechiam prouinciam fuisse dicit maritimam. Totam nimurum Samogitiae et Curoniae terram, quae mare Balticum adjacet, sub hoc nomine complectitur.

4) Hoc nomen nec in scriptoribus Polonicis et Liuonicis, nec in codicibus manuscriptoris invenimus, unde conjicimus, pro Lamotinam in textu Dusburgii legendum esse Samoitinam (seu Samogitiam) quae appellatio in literis a Mendozo datis et in Archivo Regiomontano asservatis, saepius occurrit. Strykouius, qui totam hanc narrationem e Petri commentarii hausit, pro Lamotinam posuit Nemenam (od Narwie až do Niemna Rzieki, a Narvia usque ad Nemna fluminum) quoniam nullum ejusmodi loci nomen ei, quamvis homini e Samogitia oriundo, innotuisse videtur. Conf. ejusdem Kronika Litewska I. c. Pro Naue autem in Dusburgio Narviam (Narew) legendum esse, cuique lectori sati illucescit.

5) Sarnitius in Annal. Polon. lib. VI. p. 295. haec affert: Commemorari hic possent infinita particularia bella Cruciferorum et vastationes, certaminaque terrestria, navalia et glacialis cum istis gentibus. Multos mortales haec absorserunt, adeo ut pro maxima et stupenda expeditione censi possent. In sequenti anno Libenteile, Commandator Ragnetus Austechiam, prouinciam

animos Lituaniorum majori odio contra Crucigeros eorumque sacra inflammaret, unde bellum Lituanicum per bina saecula summa acerbitate et crudelitate pro aris et focis gestum est. 6)

Pōst euersionem Romouae, Kruie Kruicito, sacrorum Lituaniorum praefectus, aliam sibi sedem in medio gentis elegisse ibique cultum paganum denuo instituisse videtur. Etenim multis aliis regionibus ejusmodi locos sacros, ubi sacerdotes ignem perpetuum sub quercu alere debabant, in Lithuania adfuisse, e testimoniis veterum scriptorum comprobari potest. Duo praesertim nomina oppidorum: Diewaltowa 7) (Dei regimen) et Suintoroha 8) (sacer campus) quorum utrumque, non solum sacrificiis publicis, sed etiam sepulcris principum Lithuaniae destinatum fuit, p̄e caeteris innoterunt. Posterioris loci Kruie, nomine Lisdeiko, sedem sacerdotalem, post Wilnam conditam, e Suintoroha, in nouam

maritimam et mancipium Romanoua, clarum gentilitia religione, euerit. Ibi enim sedes primaria fuit religionis idololatricae, et gentium summi Pontifices isthic habitabant. Hos Crine Criicito vocabant. Quod facinus pro sceleri nefando ducebant ejus sectae homines. Ideo Lithuania, Samogitiae et alii ejus farinae multa certamina, ut pro aris et focis, terra et mari eis mouerant.“ — Ultima verba Sarnitius non intellexisse videtur. Non enim de bello nauali in mare Baltico, sed in flumine Nemenea minoribus nauibus gesto, Petrus a Dusburg locutus est.

6) Idem Sarnitius libro laudato p. 317. de bello Lituano loquens ita scribit: Superius alicubi dixi, quod aliquis mollem istius belli septentrionalis pensans, non absurde illud cum orientibus, quae ob recuperationem terrae sacrae suscipebantur, comparaverit, vel etiam eis praetulerit. Nam ibi remotior et per mare periculosoer nauigatio fuit, hic proprior et per terram tutior. Ibi tantum decem expeditiones nobiores numerantur. Hic vero duplo plures, exceptis particularibus bellis, numerari possunt. Ibi centum annos bellum gestum fuit, hic fere ducentos annos duravit. Ibi periere 300,000 hominum, hic etiam ad centenas myriades numerus istorum ascendit. Sensit hos dolores non tantum Lithuania, sed et ipsa parentis nostra Polonia, ut mox patebit inferius.“

7) Kojalouit, hist. L. P. I., L. 2. p. 75. E viuis deinde cum excessisset (Kiernus) magnifica, quoniam illa aetas ferebat pompa, elatus in edito colle, Dziewaltowiae propinquo, sepultus est. Posita honori ejus statua lignea, quae deinde diuinis caeremoniis per plures annos culta, cum tempestatibus tandem cessisset, lucus peramoenus ibidem succrescens Vestae (i. e. Percuno) dedicatus est. Attributi praeterea sacerdotes, qui perpetuum ignem queru alerent.

8) De hoc loco in prima hujus libelli parte pag. VII. actum est. Conf. etiam Matthiae Osostewitii Strykowskii Kronika Litewska, Lib. VIII. Cap. 7. p. 293. edit. Vars. 1766.

Hanc urbem capitem transstulit, ubi successores ejus usque ad Jajellonis tempora sacris Lituanicis perfungebantur.

Vtrum his Lituaniæ summis sacerdotibus rerum quoque ciuitatum fuerit cura, id a paucis quidem addubitatur. Sed e pluribus scriptorum locis colligi potest, nullum iis reipublicae gerendae fuisse negotium. Etenim, si de novo principe eligendo, aut de bello contra hostes suscipiendo, et de pace ineunda, in comitiis publicis agitur, inter proceres gentis Lituaniæ convocatos, nulla pontificis maximi a scriptoribus injicitur mentio. Summa nimurum in mundano imperio potestas penes magnos Lituaniæ Duces, e proceribus populi et magnis agrorum possessoribus per plurima vota electos, perpetuo stetit. Petrus Dusburgius in eadem sententia nobiscum fuisse videtur, quum verbis supra laudatis, haec adjicienda putaret: „Ecce mira res; quantacumque mala fecit eis, tum diligebant eum in tantum, ut etiam Nobiles, per quos Samachia tunc regebatur, populam communem contra regem Lethowinorum prouocarent.“

At illi forsitan, ad modum Leuitarum Hebraeorum, potestate judiciali, qua lites in communi populo exortae, secundum statuta aut consuetudines veterum ab iis dirimebantur, ex auctoritate antiqua gaudebant? Quaestio, si ad mores aliorum veterum populorum species, sine dubio affirmanda. Nam sacerdotes olim judges simul populi fuisse, e veterum scriptorum testimoniosis satis notum est. Praeterea ex eo, quod nullibi de judicibus Lituaniæ in historiographis sermo sit, concludere licet, Kriuen Kriueito non solum summi pontificis, sed etiam summi iudicis munere functum esse. Cujus rei memoria in locutionibus adhuc nonnullis conseruatur. Lituani enim ad hodiernum usque diem ea phrasi vtuntur: I Kriule eiti, id est, coram judice appare. Erat autem Kriule baculus, superne incurvatus, quem Kriue in signum auctoritatis gestare solebat.<sup>9)</sup> Magna adhuc in reverentia est Kriule nostris Lituaniis. Quodsi enim ad comitia rusticana convocandi sunt, a pagi praefecto Kriule mittitur ad vicinum, qui eam ad proxime ha-

9) Petri Dusburgii Chronic. Pruss. P. III. cap. V. p. 79. ed. Hark. Tantae fuit auctoritatis (Kriwe) quod non solum ipse vel aliquis de sanguine suo, verum et nuncius cum baculo suo, vel alio signo noto transiens — a communi populo in magna reverentia haberetur.

bitantem et is ad vicinum sibi proximum transmittit, donec ad ultimum peruenierit, qui eam referendam curat ad praefectum.<sup>10)</sup>

Incrementa religionis christianaæ inter Lituaniæ, a Crucigeris, bellum extirpationis gerentibus, impedita, in fine saeculi decimi tertii, eam ob causam haud parum promouebantur, quia controversiae domesticæ inter Principes Lituaniæ ipsos exortae, animos in contrarias partes trahere videbantur. Vnde multi e populi proceribus ex odiis priuatis patriam relinquentes, ad Ordinis Teutonici fratres, Prussiam confugiebant, ut sacris initiantur christianis. Inter quos imprimis excelluit Pelusa<sup>11)</sup> e Magnis Lituaniæ Ducibus ortus, Stroynati filius, qui ab aemulatoribus persecutus, Prussiam adiit et Christianam religionem publice professus est. Hunc secuti sunt Girdylo<sup>12)</sup>, Stumandus<sup>13)</sup>,

10) De figura et usu Kriwulae confer Annotationes ad Donaliti carmen, de anni operibus et gaudiis, ex Lituanico idiomate in linguam Germanicam versum, Reg. 1816. p. 759. n. b.

11) Alexander Guagnini in Descriptione Lituaniæ Fol. VIII. e Strykouio haec affert: Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, Pelusa, unus ex Ducibus Lituaniæ, suas injurias in Lituanios vtrurus, ad Albertum de Missen, Comendatorem Regionontanum secreto consigilans, viginti viros militares Teutonicos armatos sibi dare petiit, quorum principales erant: Martinus de Golin et Conradus Tuwil (quem Dusburgius Diabolam, alii Diewel nuncupant) Crucigeri; cum his ad locum, ubi principes Lituaniæ coniuabant perueniens, nocte incertos oppressit, septuaginta principales Lituanios dormientes, plurimamque multitudinem utriusque sexus trucidauit, sponsum et sponsam, cum matronis et virginibus, spoliis unionibusque onustus, in Regionontum deduxit. Addit Kojalowitzus l. c. p. 190. „Ita unum illud ferale coniuium omnes parne Lituaniæ familias morte aut captiuitate snorum funestauit, et uno in loco universa Lituania expilata, cum opulentissimus quisque, ut tum res erat, cum conjugibus et liberis totas in ostentationem opes secum eo coniexisset.“

12) Pet. de Dusburg, Chronic. Pruss. P. III. cap. CCXXI. p. 303. ed. Hark. „Anno Domini MCCLXXXV quidam Scalouita, dictus Girdylo, qui magnæ reputacionis quondam ante conversionem suam fuerat inter eos, jactauit se, quod grandius posset facere facta contra Lethouinos, si centum viros in armis haberet. Quos cum fratres ei ordinassent, exiit cum iis versus Castrum Othecaym (Strykowius habet Oncaym) et sicut iste traditor praeordinauerat, viri de dicto castro congregati irruerunt in eos improvise et omnes, praeter paucos, qui effugerant, occiderunt.“

13) Hunc Kojalowitzus l. c. vocat virum, et gestis in Lituania magistratibus et splendore familie clarum, qui Borus iam religionis christianaæ causa transierat. De morte illius Petrus Dusburgensis l. c. p. 301. haec addit: „Ecce mirabilis

Draico 14) et alii, quorum auxilio Crucigeri magnam Lituaniæ partem sub praetextu religionis, in ditionem suam redigere studebant.

Vnde exercitu magno in Lituaniæ ipsam prouecti arcæ Oncaym, Garten, Bissen, Kymelos et alias 15) expugnavere multaque millia captiuorum in Prussiam secum abduxere, qui ad muros arcium exstruendos, aggeres Vistulae congerendos aliosque seruitutis labores cogebantur. 16) Tanta fuit captiuorum multitudo, ut temporibus Magistri Werneris Virsulensis 17) septuaginta millia, sine muliere et infante, numerarentur. Qui, quum de captiuis permutandis inter bellatores non pacisceretur, patriæ suae nunquam redditi, sedes in ea regione obtinuerunt, quæ nunc Lituaniæ Prussica vocatur, longoque per Scalouiam et Nadrouiam tractu a

conuersio et mutatio dexteræ Excelsi! Iste Stumandus, qui ultra modum antea persecuebatur ecclesiam Dei, modo Zelator fidei factus est, Dux gloriósus populi Christiani. Hic dum morti appropinquaret, interrogatus a fratre Conrado, sacerdote de Balga, quomodo tantam gratiam in fide Christi a Domino meruisset? ait: nunquam aliquid boni feci ante conuersiōnem meam, nisi hoc solum, ut dum infideles imaginem Christi sp̄o' iassent in Polonia et sequissent per medium, ego de terra sustuli et mundavi vestibus meis et ad locum decen-tem posui. Quo dicto feliciter in Domino obdormuit.“

- 14) Hic cum filio suo Pinnō et tota familia Raganitæ, anno millesimo trecentesimo primo, sacris Christianis initiatus est. Kojalouitus ait l. c. p. 223. „Eodem anno arcæ Oncaym proditione perdita. Draico erat arcii Praefectus, Christianis sacris suapte pridem ante addictus. Hic, cum hac religione superos colere inter suos fas non esset, ad hostem transire destinat: sed prius insigni proditione eundem demererit. Internuncio iaque Pinnone filio, communicata cum Volrando, Ragnētano Praefecto consilia; condictus dies: Draico tum ipse nocturnis excubiis praeverat, cum Volradus per tenebras exercitum arcii admouet: aperis portis acceptus infra arcem, militem omnemque actam in bello habilem, penitus excidit, pueris et foeminis in seruitutem redactis. — Proditor cum uni-versa familia Ragnetam translatus, Christiana, ut sposponderat, sacra suscepit.“  
 15) De his castris in bello Lituano diuturno conditis, destructis et iterum restruc-tis, confer Dusburgii Chronicón. P. III. c. 216 — 330. p. 298 — 404 ed. Hartk.  
 16) Lūc. David, Chronicón Prussicum ed. Hennig. P. VIII. p. 80. seqū. Hart-knoch, Dissertatio II. de antiquis Prussiae populis p. 22.  
 17) Decimus quartus hic Magister Ordinis Teutonicī temporibus Imperatoris Ludouici Bauarici et Papæ Joannis vigesimi secundi, ab anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo, usque ad annum millesimum trecentesimum vigesimum quintum, Ordini summa cum laude praefuit. In dolorem fratrum a Joanne Biendorfio, cum e vespertinis precibus e templo egredereetur, intererunt est. Vid. Dusburg. Chronicón. P. III. cap. CCCXLVII. p. 413. ed. Hart. not. 1.

littore laci Curonensis ad fines Podlachiae et Magni Ducatus Lituaniæ porrigitur. Ab his incolis campi deuastati frugibus exculti, syluae ex-cisæ, paludes exsiccatæ totaque inferior Lituaniæ Prussicae pars, ob in-undationes Nemeneæ olim inaccessa, in regionem fertilem, pascuis et se-getibus idoneam permutata. Hi religionem christianam professi, cum veterum Prussorum reliquiis, Scalouitis et Nadrouitis, in unum popu-lum coalescentes, successu temporis eam linguam effinxerunt, quæ in pluribus a Samogitica et Lettica diuersa, hodierno tempore intra fines Borussiae loquitur. 18)

Fratres Teutonici, quo fortius nouos hos incolas contra incursions et vexationes Lituaniorum transnemensium defendere possent, castra Memelam, Raganitam (Landshut), Christinsulam (Christwerder), Til-sam (domum Scalauonicam), Christmemelam aliaque in finibus Lituaniæ condiderunt, quorum nonnulla, e. c. Friedburg, Gotteswerder, Beyer, a Lituaniis funditus eversa sunt, ut hodierno die ne vestigia quidem eorum inuenias.

Jam rebus christianis in Lituania crescentibus, Papa et Imperator Germaniae de Archiepiscopatu Lituaniæ condendo serio cogitabant. Quum enim compertum si b̄i habent, Archiepiscopum Rigensem in con-traria partes abiisse, 19) paceque cum Lituaniorum regeminita, arma contra Fratres Teutonicos mouisse, de foedere cum paganis facto irati, jura me-tropolitana in ecclesiam Lituanicam ei detraliere nouamque sedem cathie-dralem in oppido Beyer (Bauariae) in finibus Lituaniæ sito et arcē fir-missima munito, erigere constituerunt. Extat hujus rei documentum manuscriptum, ab Imperatore Ludouico Bauariensi Equitibus Ordinis Teutonici collatum; quod, cum hucusque agnotum sit, ex Archivū Re-giomontani thesauris hic cum lectoribus communicamus:

18) In hac lingua, ad regulas grammaticas magis exculta quam Samogitica, plura conscripta extant, quæ recensita inuenies in Historia versionis Lituaniæ Bi-bliorum sacrorum. Reg. 1816. 8. et in historia cantilenarum a G. Ostermeyer. Reg. 1793. 8.

19) Papa Joannes XXII inimicitias inter Episcopum Rigensem et Magistrum Ordinis Teut. impedire voluit. Vnde duos legatos Lituaniam missebat, scil: Bartholomeum, Episcopum Electuensem et Bernardum, Abbatem Monasterii S. Theofredi, ut de amicitia restituenda paciscerentur. Conf. Petri Dusburgii Chronicón Boruss. P. III. CCCXLIX. p. 404 et not. Hartknocchii, qui haec addit: „In Chronicō antiquo Germanico manuscripto haec causa missae lega-

„Ludowicus dei gracia Romanorum Imperator Semper Augustus Vniuersis christi fidelibus presentibus et posteris Graciam suam et omne bonum 20) Multifariam multisque modis variis christianus populus, quem orthodoxe fidei fulgor illuminat, diuersarum virtutum iubare irradians et preclarus Sacrum ac felix Romanum Imperium cunctis mundi preferri (presertim) principatus quibuslibet babaris prepollere nationibus fecit, in preterito. Verum eciam disponente omnium domino efficiet in futuro Nempe publice rei tuicio de stirpe gemina pullulans, vitisque suam exinde munens celibii videlicet milicia solidat et confirmat. Sicque eminencia extollitur, et peruersorum praesertim crucis christi inimicorum infidelium malitia extra mundi terminos profugatur. Eapropter non tantum (tm) in nostris armatis militibus seu bellorum ducibus, quantum in Religiosorum assidue deo militancium deuotis intercessoribus et aliis piis operibus, nostre spes anchoram fingentes coruscantis glorie nostre solium sublimius et solidius in speculo subleuitur Religionem itaque vitam ducentibus Serenitatem nostram conuenit prospicere, ipsorum utilitatibus intendere, ut felicis status recipiat incrementum et

tionis assignatur. Videlicet cum Episcopus et Cives Rigenses perpetuas iniurias contra Ordinem Teutonicum foverent, in tota Europa hoc diuulgaretur, duos illos reges Russiae et Lithuaniae Christianorum sacra suscipere vele. Fratres autem Ordinis Teutonici hoc ipsorum propositum impetrare. Hos rumores non desierunt spargere, donec Pontifex romanus duos illos legatos in Lithuaniae mitteret. Lucas David I. c. VIII. p. 80. & Simone Grunouio accuratius causam hujus legationes his verbis enarrat: „Zwey Masurische Grossen, die von Lesko aus M'stouien nach Littauen geflohen waren, überredeten den König am den Fabst zu schreiben, sich über den deutschen Orden zu beklagen, dass er sein Land stets mit Krieg überzöge. Sintental der deutsche Orden mehr die Herrschaft der Lande, denn Christi Ehre und de Menschē Heil und der Seelen Seeligkeit suchte.“ Hae literae ad Papam Joannem XII reuera missae sunt. In Archivo Regionantano exemplar hujus epistolae asseruntur, sed sine anni et diei indicio. Cel. Hennigius eam anno 1322 conscripdam esse, putat.

- 20) Hujus documenti tria exemplaria in Archivo Regionantano extant: Primum sub Num. 382. Spec. I. membranaceum, duobus sigillis instructum, quorum alterum Magister generalis Dieterici Aldenburgen sis, cerea nigra, alterum Ducis Bauariae Heinrici, cerea virida, insignia refert. Secundum ad Exemplum primum descriptum, sigillo Episcopi Pomesaniae, Gerhardi inscriptum, anno 1421. d. 30. Mai exaratum; Tertium in membrana bene conseruata, a secundo non discrepans, saeculo decimo quinto transcriptum, easdem variis lectiones (in parentesi a nobis inclusas) continet, ac secundum.

eorum facultates augendas graciosa largicio principis excitatur. Inter ceteros autem illi precipue nostram graciam beneficia et benemolentiam promerentur, quibus Hospitalitatis piissime, et defensionis rei pupille nec non alia pietatis opera suffragantur, qui abiectis rebus suis, propriis voluntatibus abdicatis spredoque suorum corporum cruciatu ascendentibus in aduerso pro Romano Imperio et domo Irm se murum non formidant exponere, et in proprio sanguine pro fide catholica et paternis legibus animarum suarum pallia rubricare. Veluti Venerabilis in cristo Frater Theodericus de Aldenburg 21) Magister generalis princeps noster et Romani Imperii karissimus, ceterique fratres ordinis hospitalis beate Marie Domus Teutonicorum Iti, quorum sancta religio ab Imperialibus beneficium sumpsit initium ac Imperialis ortus floridus Imperatorum plantula et factura, a nullo principe tantum, quantum ab Imperatoribus in rebus temporalibus incrementum. Sane quia venerabilis Magister et fratres prelibati et totus illibatus ordo, grata et laboriosa ad diuini nominis laudem et gloriam et catholicam fidem ampliandam seruicia, in quibus agendis incessanter et strenue se immiscent, se nobis valde graciosos et placidos representant, non immerito ad tam pii negotii sub-sidium feruidis desideriis anhelamus, ipsos ad beniuolos applausum dulcedinis admittentes amplexus. Nam novissimis istis temporibus illustris princeps Patruelis noster dilectus Henricus 22) Dux Bauarie egregias edi-

21) Sedecimus hic Magister generalis anno millesimo trecentesimo vigesimo nono, octogenarius jam electus est. Vir eloquentia validus, auctoritate grauis, justitia rigidus extitit, templum Marienburgae exstruxit et usque ad annum millesimum trecentesimum trigesimum nonum Ordini Teutonico praefuit.

22) De hoc Bauarie Duce nihil in Dusburgii Chronico ejusque supplemento legitur. Strykouius eum ad annum 1329 commemorat. Vid. Kronika Lietowska, Lib. XI, c. 8. p. 368. ed. Wars. In auxilium venerat Theodorico ab Aldenburg, copias e Bauaria adducens, ut castrum Welonam ad Nemenam situm, oppugnaret. In hac expeditione, quod mirum est, tormentorum bellorum mentio jam injicitur. Kojalouitus I. c. P. I. l. VII, p. 279 haec refert: Multam stragem succedentes vallo Lituani acceperunt ab insolenti hactenus armorum genere. Fistulas enim ferreas, quae puluere pyro et globis oneratae, conceptam intra puluerem flamman evomendo, magno simul impetu vehementique cum fragore globum in aduersos ejicerent, iam tum ad Prussorum usum peruenisse memorant nostros. Ingeniosum hujus saeculi inuentum, sed quod omnem veteris militiae gloriam insigniter prodegit: Nam quis ibi virtute ac fortitudini antiquae locus, ubi inter fortissimos quoque

ficiorum iuncturas in infidelium Lithwinorum regionibus primogenitas indissolubiliter in perpetuum ad tocius orthodoxe fidei machinam supportandam annuente altissimo, veluti columpnarum prestaria permansuras, utpote castrum principale tocius terre Lithouie prouide construxit cooperante ad hoc venerabilium Generalis Magistri et suorum fratrum consilio et auxilio. Ob ejusdem nostri patruelis interuentum et strenua merita predictorum fratrum, ipsis et beato ordini memorato. Ad laudem et gloriam omnipotentis dei et beatissime virginis Marie matris sue gloriose, terram Lithwinorum cum omnibus suis pertinenciis et partibus cuiuscumque idiomatici siue Samayten Karsow <sup>23)</sup> vel Russie seu alterius, cuiuscunque existant prout nunc sunt, vel ad quamcumque fidem declinauerint de Imperiali libertate (auctoritate) donamus pure et irreuocabiliter iure proprio in perpetuum pro se et suis successoribus recipientibus dictam terram. Dictumque fratrem Thüdericum felicem nostrum et imperii principem, nomine dicti sacri ordinis inuestimus de eisdem, cum administratione temporalium et iurisdictione eiusdem plenaria principatus. Cui quidem castro <sup>24)</sup> principali idem nostre patruelis dilectus nomen et insignia armorum et vexilli terre Bauarie que Beyern dicitur appropriauit, ita quod insignia sui vexilli ea debent honoris et dignitatis prerogativa pollere et pre omnibus vexillis aliis in expeditionibus contra Lithinos, sint anteriora in aggressu et ultima in recessu. Et nihilominus predicte religionis incole, quos opitulante omnium conditore in eadem terra felici succedente tempore inhabitare contigerit, in prefato castro capitali debebunt requirere sua iura. Dicimus eciam patru-

imbellis manus, paene per ocium infinitas spargit caedes? Ad gladium, vel hastam, manuque res deducta, virum probare debet: at inter fistularum ejusmodi usum, casus necem dispensat; quem vir fortis neque vitare, neque uelisci possit, quod a qua manu veniat, nesciat.

23) Karsouia, castrum fuit in Curonia, a quo interdum tota prouincia Carsouia vocata est. Conf. Petri Dusburgii Chronic. Pruss. P. III. cap. LXXXI. p. 185. Hart. — Olim Russis subiecta fuit, unde interdum cum aliis terris finitimi Russia appellatur.

24) Quonam anno id castrum exstructum et quonam loco situm fuerit, non prorsus liquet. Sine dubio coiae Bauarienses, a fratribus Ordinis Teutonici in auxilium vocatae, arcem illam in litora Nemenae, procul Caulia ante annum 1329 condidere. Quum enim Heinrichs Bauariae dux, vt supra dictum est, Prussiam adiret, castrum jam exstructum inuenit.

Ils noster dilectus glorie et laudis dei matrisque sue gloriose non immemor sed juste et religiose cogitans deliberauit, una cum prefato magistro generali maturo prehabito consilio, instituendam et construendam fore in predicata terra quam primum eum omnipotens fide catholica ampliauerit ecclesiam cathedralem, in qua tamquam in ecclesia metropolitana archiepiscopus sit metropolitanus <sup>25)</sup> una cum canonicis ibidem instituendis perpetuo permanebit et siqui suffraganei opitulante domino in posterum creabuntur, illi eidem archiepiscopo tanquam suo metropolitano suberunt et sibi exhibebunt, in omnibus obedientiam reverenciam debitam et honorem, que quidem ecclesia et archiepiscopatus Beyern simili appellabitur nomine tituli in eternum.

In cujus rei testimonium presentes conscribi et nostra bulla arrea signoque nostro consueto iussimus communiri. Datum Monaci XVII Nonas Decembris Anno Domini Millesimo Trecentesimo Tricesimo Septimo indicione quinta Regni nostri anno vicesimo tertio, Imperii uero decimo. Signum Domini Ludwici Romanorum Imperatoris Inuictissimi.

Ex his literis ratio, cur sedes metropolitana in finibus Lituaniæ, dioecesi Rigeni oppositis designata sit, satis apparet; nec absque tristitia intelligimus, quanta cupiditate terras populosque subigendi fratres Ordinis Teutonici flagrauerint, quum extirpatis Sambiae Nodrouiae et Sudauiae incolis, Prussiae terrae occupatione non contenti, Lituaniam adhuc et Russiam a Germaniae Imperatore, (cui nec Lithuania nec Russia propria) donandam sibi curarent. At ista donatio alienarum possessionum cum sedis Archiepiscopalis in partibus infidelium designatione, per arma victoria Olgerdi mox irrita reddebat. Is enim Lithuaniae Archidux, virtute bellica insignis, contra hostes vndeque prementes, sci-

25) De episcopis Lithuaniae non solum in Prussicis sed etiam in Liuonicis documentis saepius sermo est. Confer literas Mendogi, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono datas et ex Archivo Regiomontano editas in Chronicis Lucae Davidis I, IX. nec non in Actis Borussicis P. III. p. 738 cf. 744. Dreyer, Codex Diplom. p. 425. Reinald, Annal. ecclesiast. T. XIV. ad ann. 1763. n. 88. 1264. n. 44. Metropolitanum Lithuaniae hucusque Archiepiscopus Rigenensis sese gerebat, sed innito Papa et Rege Lithuaniae, vt in hujus libelli parte secunda p. 8. demonstrauimus. Conf. Russow, Chronica von Liefland p. 21. Reinald, Annal. eccl. T. XIII. p. 697. 707.

Iicet Crucigeros 26), Tataros 27), Russos 28) aliosque tam feliciter pugnauit, vt imperium a maris Baltici littore usque ad Pontum euxinum ab antecessoribus prolatum, nouis victoriis validissime firmaret.

Non autem belli fortitudine solum, sed animi etiam magnitudine et lenitate prae caeteris Olgerdus excelluit. Christianis enim in Lituania habitantibus, e singulari fauore, multa priuilegia tribuit illisque bina tempora Wilnae et Witepsiae suis sumtibus extruxit. 29) Wilnae tunc temporis Gastoldus, vir magnae auctoritatis et potentiae, praefuit, qui a Graecae ecclesiae ritu, cui omnes fere Lituani, qui Christo nomen dederant, addicti fuerunt, in gratiam uxoris, e patricia Polonorum gente oriundae, ad sacra ecclesiae Romano-catholicae transiit, simulque fratribus ex Ordine S. Francisci Monasterium Wilnae aedificauit. Seditione autem exorta et monachis a populo partim trucidatis partim fugatis, Olgerdus e Moscouitica expeditione reuertens, non modo in auctores caedis graviter animadvertisit, sed etiam lege publica sanciuit, vt Christianis sacra celebrandi libertas in perpetuum staret. 30) A quo

- 26) Descriptionem hujus expeditionis Iege in Kojalouitii Histor. Lituaniae. P. I. VIII. p. 285. Samogitia pars, a Crucigeris occupata, omnesque arces in finibus Lituaniae, a fratribus Teutonicis pacem rogantibus, redditae sunt.
- 27) Matthiae Strykouii Osostewitii Kronika Litewska. I. XII. c. 2. p. 375. 376. ed. Vars. — Per victoriam Olgerdi 1331. tota Europa a Tataris liberata est. Stanislaus Sarnitus in Annal. Polonor. et Lituani. L. VI. p. 316. ed. Crac. 1787. rem ita exponit: „Deus igitur misertus Poloniae, Hungariae, Germaniaeque calamitatis, excitauit Olgerdum Lituannum, qui, etiam si gentilis erat, tamen omnibus Christianis Europaeis egregiam tunc nuanxit operam. Progressus enim cum copiis suis usque ad Borysthenem et ostia ejus, totum robur Talarorum et tres Duces eorum Kadlubejum, Demetrium et Kaczibejum armis suis attrinxit, profligauit et disjectit, ita, ut alii eorum ultra Tanaim fluvium, alii ultra Tyram ad Dobruenses usque campos fuga dilaberentur.“
- 28) De Moscouitica expeditione conser Strykouii Chronicón Lituán. I. XII. c. 3. p. 379. 380. ed. Vars. et Kojalouitii Histor. Lituán. P. I. I. VIII. p. 295. 296. ed. Dant. 1650. — Sarniti Annal. Polon. et Lituani. L. VI. p. 316. 317. ed. Crac. 1587.
- 29) Kojalouitius in Histor. Lituani. P. I. lib. VIII. p. 297. Olgerdum ipsum Christianum fuisse, his verbis testatur: „Olgerdus vero, quanquam ethnico ritu publice operaretur, tamen quod nuper in gratiam Vlijanae conjugis Vitesciorum ducis, Christianis sacris se initiari permisisset, Russorum ritum non auersabatur, etc.“
- 30) Strykov. Kronika Litewska. I. XII. c. 3. p. 383. Kojalouitius I. c. p. 299. ait:

tempore (ab anno millesimo trecentesimo trigesimo quinto) aera christiana Lituaniorum merito inchoanda; quoniam religionis christiana confesores, hucusque persecutionibus multis obnoxii, ex quo Olgerdus hanc legem ferret, e militantis ecclesiae periculis ad triumphantis securitatem et gloriam emerserunt.

Sed ulterius haec deducere paginae prohibet angustia et quem nobis in libello scribendo proposuimus, scopus, qui est: Vos, Ciues Albertinae nostrae dilectissimi, ad piam Festi Pentecostalis celebrationem ex animo cohortari. Sacra, quae faustis auspiciis nobis illuxit dies, admirabilem illum et generi humano salutarem in memoriam vocat eventum, quo Apostoli post ascensum Jesu Christi in coelos, eximis Spiritus sancti dotibus instructi, primae ecclesiae christiana fundamenta Hierosolymis jecerunt. Gratias Deo, ter optimo maximo, agatis, quod coelestis Jesu Christi doctrina, qua nihil praestantius humano generi datum est, per Spiritus sancti praecones populis terrae annuntiata, de superstitione pagana tandem triumpharet. Vnde effectum est, vt salutaris euangeli lux et nostris Prussiae regionibus postremis temporibus exoriretur. Nunquam Adalberti, Brunonis aliorumque religionis doctorum, qui doctrinæ christianaæ annunciandae causa, Prussiam adiere ibique mortem subiere, in populo nostro interitura est memoria!

Vestrum est, Ciues, insigne hoc beneficium diuinum, humano generi exhibitem, hisce diebus sacris, serio perpendere. Jesus Christus, veritas, via et vita, (Joh. XIV, 6.) dux et heros salutis humanae. Vobis etiam auctor exstitit sapientiae, justitiae, sanctitatis et redemptoris. 1 Cor. I, 30. Nemo autem Jesum dominum et magistrum vocare potest sine Spiritu sancto. 1 Cor. XII, 3. Vnde diligenter appetatis dotes Spirituales, maxime vero, οὐαὶ προφῆταις ἀνθρώποις ἐσ δικηδόροιν. 1 Cor. XIV, 1. 3. Reconditi sunt et pro Vobis in Christo omnes veras

„Lege insuper cautum, uti post hac christianis, suas religiones promoventibus securitas publice priuatimque esset. Nouam itaque virorum religiosorum ejusdem Ordinis (S. Francisci) coloniam Gastoldus Vilnam evocat, et sedem ad paudem Vinkram designat, ibidemque E. Virginis templum dedicat. Rigatus praedecessorum sanguine, ager inter successorum curas, protulit magnos pietatis pronentus, quibus in hunc diem fruimur.“

sapientiae thesauri. Col. II, 3. sed non recludentur, non aperientur, non communicabuntur Vobis, nisi per Spiritum hunc ἀποκαλύψεως. Ephes. I, 17. Hinc gratiae Jesu Christi et amori Patris communionem Spiritus sancti adjungit Apostolus, 2 Cor. XIII, 13. utpote per quem charitas illa Dei effunditur in animis vestris. Rom. V, 5. Promisit vero hoc donum Christus et Vobis, Cives, sed orantibus Patrem. Luc. XI, 13.

Ο πάτερ ὁ τέξεις δώσει πνεῦμα ἄγκυον τοῖς ἀνθρώποις αὐτόν.

Orate, ut pater omnis misericordiae Vobis largiatur Spiritum sapientiae et oculos mentis Vestrae illuminatos, ut intelligatis, quaenam sit spes vocationis Vestrae et quam opulenta gloria haereditatis, sanctis suis destinata. Ephes. I, 17. 18. O quam felix erit, quod Vobis adhuc instat, iter per hujus mundi incognita ex parte et deserta loca, si hunc viae, mille periculis expositae, Duce elegantis, si hunc in omnem veritatem ducentem Spiritum sequemini! Hoc Duce salvi semper eritis et tuti; hoc Duce animi innocentiam, castitatem, modestiam, fidem, pietatem omnesque virtutes, quae juventutem exornant, Deo hominibusque gratam reddunt, assequemini et conseruabitis. Sit vniuersusque Vestrum illud, quod quondam Augustini<sup>31)</sup> erat suspirium: „O ignis, qui semper ardes, et nunquam extingueris, accende me. O lux, quae semper lices, et nunquam obfuscari, illumina me! Vae his, qui non ardor ex te; vae illis, qui non illuminanter ex te. Vae coecis oculis, qui te non vident; vae caligantibus oculis, qui te videre non possunt! O lux beatissima, quae non nisi a purgatissimis oculis videri potes, munda me; mundans virtus, sana oculos meos, ut sanis oculis te contempler, quem non nisi sani oculi intuentur. Aufer quae-  
so, squammas caliginis antiquae, radio tuae illuminationis, ut in lu-  
mine tuo videam lumen. Gratias tibi ago, lumen meum, pro tantis  
gratiae et misericordiae tuae documentis. Ecce video, sed per specu-  
lum in aenigmate: sed quando a facie ad faciem? — Veniet dies laeti-  
tiae et exultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis,  
usque ad domum Dei, ut videam videntem me a facie ad faciem et  
satietur desiderium meum.“ —

31) Augustini Soliloquiorum animae ad Deum I. I. c. 34.

P. P. in Universitate literarum Albertina, festo Pentecost. An. p. Chr. nat.  
MDCCXX.